

DE

PROVERBIO TΑΝΤΑΛΟΥ ΤΑΛΑΝΤΑ

VEL

TΑΝΤΑΛΟΥ ΤΑΛΑΝΤΑ ΤΑΝΤΑΛΙΖΕΤΑΙ

DISSERUIT

C. THEISS.



DE
PROVERBIO TANAYAT TANAYATA

VEL
TANAYAT TANAYATA TANAYATA

DISSERTATION

C. THEISS.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Horat.

Praefatio.

Qui nominum verborumque etymis seu originibus investigandis operam dederunt, quamvis nimia saepe cura et diligentia in aliorum offensionem incurrerint, subtilius interdum quam verius disputaverint, aliquando etiam lusisse magis, quam docuisse visi sint; ad significationem tamen nominum eruendam ac de cujuslibet verbi usu vere existimandum haud spernendam lucem attulerunt, ubi, unde illud ductum, deprehenderunt et recte constituerunt. Et bene Varro L. L. VII, 4: „de originibus, „inquit, verborum, qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiverit, reprehendendum.“ E magno ejusmodi scriptorum numero, quae mihi ante oculos obversantur, nominasse sufficiat Phil. Theodor. Verportennii dissertationem de verbo Graeco *ξένος*, Caroli Biesteri dissertationem de usu vocis *όπισω* apud Homerum, E. Schraderi commentationem de *ήόεις* vocabulo, Caroli Guilielmi Lucae disquisitionem de verbis *Φρένες άμριμέλαινα* apud Homerum; qui quidem omnes de illorum verborum usu rectius intelligendo bene meruerunt. Contigeritne hoc etiam mihi proverbium *Ταντάλου τάλαντα* vel *Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται* excutienti, non ausim affirmare; sed viam mihi visus sum invenisse, qua vera proverbii sententia, hucusque tenebris involuta, in lucem proferri possit.

Quatuor autem sunt partes, in quas haec mea de proverbio illo scriptio disponetur; primum ut quod etymon et quae ex hoc deducenda primaria sit illarum vocum significatio quaeramus; deinde ut quae explicatio hujus proverbii existat apud paroemiographos et lexicographos videamus; tum ut quae vera et genuina hujus proverbii explicatio habenda videatur exponamus; denique ut qui usus Tantalici nominis Graecorum Romanorumque scriptorum fuerit demonstremus.

In qua quidem disquisitione sicubi longus visus fuero, illud fortasse aliquid habebit excusationis, quod nullam viam longam putabam esse, qua sola mihi videbar ad veritatem posse accedere; quae autem brevius quam par est tractata invenies, eorum partem et librorum penuriae et doctrinae mediocritati meae tribuas velim.

Cap. I.

Quaeritur, quod etymon fuerit vocum *Τάνταλος*, *τάλαντον*, *τάλαντα*, *τανταλίξεσθαι* et quae sit inde deducenda significatio. Plato, quem Dionysius Halicarnasseus libro *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων*, deducendarum etymologiarum rectaeque nominum compositionis gravissimum auctorem nominat, in eo dialogo, qui Cratylus inscribitur, pag. 395 D. ed. Stephan. de nomine Tantalii disputans haec habet: τῷ δὲ Ταντάλῳ, Socrates, inquit, καὶ πᾶς ἂν ἠγήσαιο τοῦνομα ὀρθῶς καὶ κατὰ φύσιν τεθῆναι, εἰ ἀληθῆ τὰ περὶ αὐτὸν (αὐτοῦ Stephan.) λεγόμενα et Hermogeni interroganti, quae ista essent, Socrates ἂ τέ που, respondet, ἐτι ζῶντι δυστυχήματα ἐγένετο πολλὰ καὶ δεινὰ et ad extremum patriae universalis eversio ὣν καὶ τέλος ἢ πατρὶς αὐτοῦ ὄλη ἀνετρέπετο, mortuo autem καὶ τελευτήσαντι ἐν Ἰδαίῳ ἢ ὑπὲρ τῆς μεγάλης τοῦ λίθου τανταλία θαναμαστῶς ὡς ξύμφωνος τῷ ὀνόματι καὶ ἀτεχνῶς ἔοικεν. Quibus subjungit ὡςπερ ἂν εἴ τις τάλαντατον ὀνομάσαι, ἀποκρουπτόμενος ὀνομάσειε καὶ εἴποι ἀντ' ἐκεῖνου Τάνταλον, τοιοῦτόν τι καὶ τούτῳ τὸ ὄνομα ἔοικεν ἐμπορίσαι ἢ τέχνη τῆς φύσεως.

Censet igitur *Τάνταλον* per litterarum transpositionem ortum esse ex *Τάλαντον* vel *Ταλάντατον* ob multas aerumnas et miserias, quibus vexatus miserimus et infelicissimus fuisse fertur. Eadem fere habet Eustathius pag. 1701 ed. Rom. λέγουσι δὲ οἱ τοιοῦτοι ὀνόματος ὁμοιότητα τὴν ὡσανεὶ παρήχησιν τοῦ Ταντάλου καὶ τοῦ τάλαντου, ὡςπερ δὴ παρηγεῖται καὶ τὸ ἀγαθῶν ἀγαθίδες z. t. λ. Quibuscum consentit Photius pag. 570, 15 praecipiens *Τάνταλον* ex *τάλαντον* productum esse, γέγονε δὲ παρὰ τὸ ὄνομα *τάλαντα*. Ex recentioribus autem de origine Tantalii nominis virum doctissimum Theod. Bergkium*) secutus haec habet Nitka**): „reduplicatione et ad lambdacismum

*) cfr. Bergk, Zeitschr. für Alterthumsk. 1845. pag. 175.

**) De Tantalii nominis verborumque cognatorum origine et significato pag. 8.

„vitandum permutatione liquidarum ortum est *Τάνταλος* tanquam *τάλταλος* vocalemque „radicalem retinuit ut *βάρβαρος*, *βόρβορος*, *γάργαρος*, *μάμαρος*, *Τάρταρος*, quae primas „syllabas integras et immutatas repetunt.“

Videmus igitur et a veteribus et a recentioribus eam nominis Tantalii interpretandi rationem esse tentatam, ut *Τάνταλος*, *τάλαντος* vel *τάλταλος* ad *τάλας* et ad verbum *τλῆναι* referretur. — *Τάλαντον* autem (cfr. Stephan. 9024 ed. Londin.) ejusdem quoque cum *τάλας* originis esse, vel etiam ex illo ipso deductum creditur, *παρὰ τὸ τάλαν καὶ καρτεριζὸν τοῦ ἐργαλείου, καὶ τὸ οἰοεὶ φερέπονον*: quemadmodum et *τροιάνη* dicta existimatur *παρὰ τοῖς βαρήμασι τρέσθαι* i. e. *καταπονεῖσθαι*. Est vero *τάλαντον* non modo instrumentum (*τὸ σταθμιζὸν ὄργανον*), ex quo pondera suspenduntur seu quo ponderantur i. e. statera, libra vel trutina, lanx; sed etiam id, quod lanci imponitur ponderandum (*τὸ σταθμιζόμενον πρᾶγμα*) i. e. pondus, onus, quod alicui imponitur, res quae pondus habet, quae molestiam, difficultatem parat, *φορτίον, ἄχθος*, itaque *τάλαντα* i. q. *φορτία, ἄχθη* onera, res, quae oneri miseriaeque sunt et suo jure Hesychius *τάλαντα* interpretatur per *τὰ ἀνυξέστατα*. — Quae quum ita sint, Henrici Stephani (Thesaur. III, pag. 1233) et Archeri conjectura opus non est, qui pro *τάλαντα* scribendum censuerunt *ταλάντατα*. — Jam restat, ut explicetur quid *τανταλίεσθαι* significet. — Verba autem *τανταλίζω*, *τανταλεύω* et *τανταλόω* deducta esse videntur a nomine *Ταντάλον* (cfr. Henric. Stephan. Thesaur. s. v.) et significant Tantalii in modum dispositum esse, in Tantalii statu versari vel Tantalii habitum imitari. In *τανταλεύω* et *τανταλόω* verbis, quae per huc illuc exagitare, suspensum tenere explicantur, nemo de divitiis accumulandis cogitavit, sed illa ipsa modo a me proposita significatio e nomine et conditione Tantalii haud dubie deducta et deducenda usquequaque probatur et Eustathii verbis confirmatur: *τὸ τανταλωθῆναι*, inquit, (pag. 1701, 4, 17. ed. Rom.) *κείμενον παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ (Antigon. 134) ἀντίτυπα δὲ πρὸς πέσε τανταλωθεῖς, ἤρουν τὸ τοῦ Ταντάλον παθῶν τὸ δὲ ἦν, φασί, κατασεισθῆναι*. Jam vero *τανταλίεσθαι* explicat Hesychius per *σαλεύεται* ita ut *τανταλίεσθαι* sit: Tantalii in modum *σαλεύεσθαι*, qui fingitur *ἀεὶ ποτᾶσθαι* et in palude *σαλεύεσθαι*. Ac recte quidem Hesychius. Namque notum est et facile ad probandum verbis in *ίζω* exeuntibus similitudinem vel aemulationem significari eorum, quos quis aut moribus et consuetudine aut habitu cultuque aut aliqua actione imitatur. Ita *βαταλίεσθαι* significat more Batalii delicatam turpemque vitam agere cfr. E. M. 191, 20 et Suidas s. v; *σοφρίζεσθαι* sophistarum more *σοφίσμασι διαπατῶν* i. e. dolose et fraudulenter dicere, argute aliquid

comminisci; *Σιουρίζειν* significat agere ut *Σιουφος* i. e. callide scelus admittere cfr. Anecdota Graeca Bekkeri 64; *Συβαρίζειν* Sybaritarum more luxu et deliciis diffluere cfr. Aristophan. Pax v. 344; *ἀνδρίζεσθαι* more virorum, viriliter agere. — Plura ejusmodi verba qui cupit, adeat Lobeckii Pathologiam et ejusdem Phrynichum et Nitkæ dissertationem*), quam supra laudavi. — His omnibus comprehensis, quæ adhuc de significatione verborum *Ταντάλου*, *τάλαντον*, *τάλαντα* et *τανταλίεσθαι* disputavi, nihil me puto protulisse inauditum nec sermoni repugnanti vim intulisse, si in his verbis aperte a *τάλας*, *ταλάω*, *τλάω* deductis vel deducendis significationem ferendi et patiendi inesse contendo. —

Quæ quum ita sint, sane mirandum est, qui fieri potuerit, ut viri docti verborum *Ταντάλου* *τάλαντα* explicationem fingerent a justa origine et significatione mirum quantum abhorrentem. Interpretantur autem viri docti inde ab Henrico Stephano usque ad novissimum Suidæ editorem G. Bernhardy (velut Boissonadus ad Aristænetum pag. 479; Guilielmus Dindorfius ad Aristophan. Fragmm. 242; J. F. Fischerus ad Anacreont. Fragmm. 143; G. Stallbaumius ad Plat. Euthyphron. c. XIII; Aug. Meinekius ad Menandr. pag. 103; Passow, Pape, Jacobitz et Seiler in lexicis Graecogermanicis aliisque, quos recensere longum est) verba illa *Ταντάλου* *τάλαντα* *τανταλίεσθαι* Tantalus talenta possidet, vel Tantalus talenta accumulatur, er wiegt an Vermögen so schwer als Tantalus, besitzt das Vermögen des Tantalus. De divitiis igitur et opibus Tantalus cogitant et laudant ad hanc suam explicationem confirmandam paroemiographos et lexicographos. —

Jam videamus

Cap. II.

quæ explicatio hujus proverbii apud paroemiographos et lexicographos existat. Omnes autem locos quibus exstat proverbium illud transcribendos curavi, ut hoc modo perspiciatur, quantum paroemiographorum et lexicographorum de talibus rebus iudicio tribuendum sit, simulque hæc exemplo inservire possunt, quo ostendatur, sæpe doctissimos homines, si primus veritatem non perspexit, alterum ab altero falli et decipi. —

*) De Tantalus nominis verborumque cognatorum origine et significato pag. 11 et 12.

Ac primum quidem audiamus Zenobium (ad quem ad unum omnes provocant) Centur. VI, 4 cfr. Corp. Paroemiographor. Graecor. Tom. I. p. 161 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Ταντάλου τάλαντα: διαβεβόητο ὁ Τάνταλος ἐπὶ πλούτῳ, ὡς καὶ εἰς παροιμίαν διαδοθῆναι. Ἀπλῆν δὲ συμβέβηκεν εἶναι τὴν παροιμίαν, καὶ τὴν μὲν, Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται· τὴν δὲ, Ταντάλου τάλαντα.*

Diogenianus Centur. VIII, 23. cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum Tom. I. pag. 309 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Ταντάλου τάλαντον: διαβόητος ἐπὶ πλούτῳ.*

Consentanea cum his refert Gregorius Cyprius Centur. III, 73. cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum Tom. I. pag. 373 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Ταντάλου τάλαντα: ἐπὶ τῶν σφόδρα πλουσίων.*

Apostolius Centur. XVI, 16. cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum Tom. II. pag. 660 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Τὰ Ταντάλου τάλαντα: πλούσιος ὁ Φρονῆς Τάνταλος διαβεβόητο, Πλουτοῦς καὶ Λιὸς λεγόμενος· κέχρηται δὲ παροιμία καὶ Ἀνακρέων ἐν τρίτῃ· γέγονε δὲ παρὰ τὸ ὄνομα τάλαντα· ὡς καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ εἴρηται, Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται.*

Eadem verba Arsenius habet Centur. XLVIII, 90. quī, ut notum est, omnia, quae pater ejus Apostolius in proverbiorum collectionem receperat, Violario suo ita inseruit, ut ne verbum quidem mutaret.

Macarius Centur. VIII, 101. cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum Tom. II. pag. 214 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Ταντάλου τάλαντα: ἐπὶ τῶν σφόδρα πλουσίων.* —

Mantissae Proverbiorum Centur. II., 93. cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum Tom. II. pag. 772 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Τὰ Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται: ἐπὶ πλούτῳ.*

Photius pag. 570, 23 ed. David. Hoeschel: *Ταντάλου τάλαντα: πλούσιος ὁ Φρονῆς Τάνταλος διαβεβόητο, Πλουτοῦς καὶ Λιὸς λεγόμενος· κέχρηται δὲ τῇ παροιμίᾳ καὶ Ἀνακρέων ἐν γ'. γέγονε δὲ παρὰ τὸ ὄνομα τάλαντα, ὡς καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ εἴρηται. Τὰ Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται.*

Suidas autem inepta garrulitate et in colligendis undequaque rebus temeritate maxime notus haec habet pag. 1040 et 1041 ed. Bernhardy: *Τὰ Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται. (vertit Bernhardy Tantalī talenta accumulāt.) αὕτη οὖν ἡ παροιμία παρὰ τὴν ὁμοίωσιν τῶν ὀνομάτων εἴρηται ἐπεὶ παῖδες πολλὰ καὶ ἄλλα τοιαῦτα πεποιθήσιν. οἶον, ἀγαθῶν ἀγαθίδες, καὶ σοφώτερος σοφοῦ παρ' Ἐπιχάρμῳ.*

Τὰ Ταντάλον ταλαντίζεται — διεβεβόητο ὁ Τάνταλος ἐπὶ πλούτῳ, ὡς καὶ εἰς παροιμίαν διαδοθῆναι· οὗτος γὰρ πλούσιος Φρυξὶ ἐπὶ ταλάντοις διεβεβόητο, Πλουτοῦς καὶ Διὸς λεγόμενος· — κέχρηται δὲ τῇ παροιμίᾳ καὶ Ἀνακρέων ἐν τρίτῳ· γέγονε δὲ παρὰ τὸ ὄνομα τάλαντα· ὡς καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ εἴρηται. Quae demique Eustathius, qui, ut notum est, post Suidam vixit et ex illo sua depromsit, de hoc proverbio habet in brevius contracta ex indice edit. Rom. pag. 447 descripsi: *Ταντάλον τάλαντα, παροιμία ὅτι πλούσιόν τινα γεγονέναι τὸν Τάνταλον ὑπαγορεύει, ἢ πρὸς τὴν τοῦ ὀνόματος παρήχιστον λέγεται.*

Quicumque haec accurate et diligenter perlegit, ei extra controversiam verum esse videbitur tam arctam intercedere cognationem tantumque plerumque consensum, ut gemellum Zenobium se legere putet. Sunt enim verba propemodum eadem nisi quod hinc illinc leviter dissonant vel accessione aliquot verborum vel detractioe Zenobianorum. Nec mirum quippe quum aliunde notum sit, (cfr. Schneidewin et a Leutsch l. l.) Diogenianum legisse Zenobii vestigia neque alios fontes adisse Gregorium Cyprium, Apostolium, Arsenium, Photium, Suidam et Eustathium, qui omnes ex eodem fonte hortulos suos, sed tenuioribus tamen rivulis irrigaverunt. — Ex Zenobio igitur Diogenianus et Ammonius sua derivarunt. Apostolius autem Arseniusque Photius, Suidas et Eustathius Ammonii scriinia compilaverunt. Quae quum ita sint, mirum non est, neminem inter posteriores paroemiographos vel lexicographos reperiri, qui a falsa primi interpretis explicatione recedat. Jam igitur audeo ego Zenobium accusare, quod non satis diligenter et circumspecte in explicando hoc proverbio versatus sit. — Quovis enim pignore posito contendere ausim, eum infelici momento veram et genuinam verborum significationem cum seriore et translata commutasse. Hoc quod dixi verum esse in sequentibus me probaturum esse confido. —

Jam

Cap. III.

exponam, quae vera et genuina hujus proverbii explicatio habenda videatur.

Nolo autem ista locutione *Ταντάλον τάλαντα ταλαντίζεσθαι* illud significari „fuisse Tantalum divitem et bene nummatum sive opes et divitias accumulasse, sed potius illud habuisse quidem Tantalum bona a Jove ipsi

tributa, verum his frui negatum fuisse ita, ut ipsi oneri miseriae que fuerint (*τάλαντα* Qualen). Also nicht an Schaetzen schwer wie Tantalus wiegen, sondern Tantalus-Qualen erleiden; — unnuetze, tantalusartige Versuche machen; a fabula Tantali sumtum, quem poetae fingunt, vel ut Homerus*) et Ovidius**) apud inferos assistere flumini sitientem, quo si quando se admoverit potaturus, repente aquam labris contactam refugere; tum capiti imminere arborem pomis onustam, sed eam subito porrigenti manum alio subducere sese; vel ut Pindarus***) et Euripides†) saxum super caput ejus imminere ruenti simile et perpetuum timorem incutiens, ne frui posset appositis. Ex mea igitur sententia *Ταντάλου τάλαντα* seu *parchesi* evitata *Ταντάλου χοήματα*, idem significat, quod alias *Ταντάλου τράπεζα*, *Ταντάλου τιμωρία*, *Ταντάλου δένδρα*, *Ταντάλου κήποι*, quae quidem locutiones omnes usurpantur de rebus quibus frui non licet, id quod ex Apostolii verbis apparet, cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum edit. a Leutsch et Schneidewin. Tom. II. pag. 657:

Ταντάλαιοι τιμωρία ἐπὶ τῶν ἀγαθὰ μὲν ἐπιτυχόντων, μὴ συγχωρουμένων δὲ ἀπολαύειν αὐτῶν· — φασὶ γὰρ τοῦ Ταντάλου ἐμπροσθεν εἶναι παντοδαπὰ δένδρα· καὶ ἥνικα ἂν τὴν χεῖρα ἐκτείνῃ λαβεῖν τι τῶν δένδρων, ἐκκλίνουσιν ἀπ' αὐτοῦ· ἢ ὅτι πηγὴ πλήρης ὕδατός ἐστι καὶ ὑπὲρ κεφαλῆς λίθος μεγάλη κρέματα· καὶ ἥνικα ἂν κύψῃ τοῦ πιεῖν, πίπτει ἡ πέτρα καὶ οὐκ ἐᾷ αὐτὸν πιεῖν· καὶ τοῦτο αἰδίως. —

Ad hanc meam sententiam, quae adhuc conjectura tantum et probabilitate nititur ex etymo deducta, confirmandam bonum sane factum, quod Euthyphro ille Platonis superstes ad nostra tempora pervenit; eo enim uno factum est, ut de hujus proverbii significatione accuratius statuere ac rectius judicare possimus. Reliqui enim omnes loci, quibus exstat proverbium illud, suspecti sunt et spurii vel male explicati. Namque in Menandri et Philemonis reliquiis (ed. Aug. Meinekii pag. 103) *Κυβερνήται* apud Stobaeum Serm. XXII. pag. 188. Gesn. pag. 151 Grot:

*Τ' ἀργύριον εἶναι μειράκιόν σοι φαίνεται
οὐ τῶν ἀναγκαίων καθ' ἡμέραν μόνον
τιμὴν παρασχεῖν δυνατόν, ἄρτων, ἀλείτων,
ὄξους, ἐλαίου, μείζονός τ' ἄλλου τινός·*

*) Hom. Odys. XI, 581.

***) Ovid. Am. II, 2, 43.

****) Pindar. Olymp. I, 55.

†) Euripid. Or. 4 seqq.

ἀθανασίας δ' οὐκ ἔστιν οὐδ' ἂν συναγάγῃς
τὰ Ταντάλου τάλαντ' ἐκεῖνα λεγόμενα
ἀλλ' ἀποθαρεῖ, καὶ ταῦτα καταλείψεις τισὶν
τί οὖν λέγω; μὴδ' αὐτός, εἰ σφόδρ' εὐπορεῖς,
πίστευε τούτῳ, μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν
ἡμῶν καταφρόνει, τοῦ δέ γ' εὐτυχεῖν ἀεὶ
πάρεχε σεαυτὸν τοῖς ὀρθῶσιν ἄξιον. —

verba τὰ Ταντάλου τάλαντα ἐκεῖνα λεγόμενα ad quae interpretes provocant nihil probant, quum si sententiae nexum expendimus facile sit videre, haec hiulca esse nec apte cum prioribus cohaerere. Huc accedit, quod adjecta verba ἐκεῖνα λεγόμενα i. e. illa ita dicta conjecturae locum dant, de divitiis veris non esse cogitandum. Alter locus exstat in Anacreontis fragmentis 143 ed. Fischer; sed quum tantum verba Ταντάλου τάλαντα ταυταλίξεται contineat, meae interpretationi non adversatur, licet Suidas, Eustathius et scholiasta Aristophanis ad hunc locum provocent. Et quum porro inter omnes constet, brevia ista carmina, quae nomen Anacreontis prae se ferunt, a nonnullis vel omnia, vel maximam partem ad posteriora detrudi saecula poetisque tribui minime nobilibus, haec etiam verba insulsam Zenobii interpretationem tueri non possunt. Plutarchi autem loco Amator. c. XII. pag. 759. F. ed. Winckelmann:

ἐλθῶν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν ἔρωτι πολλῶ καὶ πόθῳ ταῦτ' οὗτο τῶν Ταντάλου λεγομένων ταλάντων καὶ τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς ἀντάξιον ἐποίησεν.

de divitiis veris et opibus non esse cogitandum, patet ex verbis quae sequuntur:

οὕτως ἀσθενῆς καὶ ἀπίστος ἔστιν ἢ τῆς Ἀφροδίτης χάρις, ἔρωτος μὴ ἐπιπνεύσαντος.

Quilibet enim his accurate perpensis meam potius, quod attinet ad hunc locum, quam vulgarem interpretandi rationem probabit. Quae quum ita sint, restat tantum locus ille Platonicus dialogi, qui Euthyphro inscribitur, ad quem omnes fere provocant interpretes veteres et recentiores et qui Erasmo ita imposuit, ut putaret Ταντάλου τάλαντα vel, parechesi evitata, Ταντάλου χορήματα significare Tantalus divitias assequi.*) Omnes autem illius Platonicus loci interpretes licet doctissimi jejuna ista Zenobii interpretatione seducti, dum Ταντάλου τάλαντα (χορήματα) per divitias et opes interpretati sunt, eruerunt sententiam, qua nihil cogitari potest vulgarius et a vero proverbii sensu alienius. Haec enim interpretatio adeo inficeta et absurda est, ut qui eam, semel de errore com-

*) cfr. Erasmi Adagg. ed. Francofurt. pag. 214 et 217.

monifactus, ad Platonem auctorem referendam statuatur, prorsus ignorare videatur, quid rectum ac venustum sit, quid elegantiae sensui contrarium. — Ac mihi quidem hoc loco singula verba et universum connexum excutienti perversum videtur de divitiis cogitare et mirificus error per tot saecula propagatus argumentis satis luculentis plane et evidenter convinci posse. — Hoc autem loco (Plat. Euthyphron. c. XIII. pag. 11. E. ed. Stephan.) quem mihi videor rectius perspexisse, liceat mihi aliquantisper exspatiari commentando et verba ipsa afferre, quae rectam interpretationem proverbii illius et indicant et probant. — Platonis autem verba allaturus non vereor, ne venia mihi lectorum atque excusatio petenda sit propterea, quod Wolfii versionem et Stallbaumii enarrationem paucis exceptis transcripserim. Jam vero Socrates loco modo laudato argumenta Euthyphronis non consistentia Daedaleis operibus similia videri dicit (*τοῦ ἡμετέρου προγόνου, ὃ Εὐθύφρον, ἔοικεν εἶναι Δαίδαλον ὑπὸ σοῦ λεγόμενα.*) Euthyphro autem respondet: Socratem sibi pro Daedalo esse, quippe qui rationes suas non sinat consistere, rursus coarguens et evertens quod paulo ante visus sit approbare; *τὸ γὰρ περιεῖναι αὐτοῖς τοῦτο καὶ μὴ μένειν ἐν τῷ αὐτῷ οὐκ ἐγὼ εἰμι ὁ ἐπιθεῖς, ἀλλὰ σύ μοι δοκεῖς ὁ Δαίδαλος· ἐπεὶ ἐμοῦ γε ἕνεκα ἔμενον ἂν ταῦτα οὕτως* i. e. quod enim circummeunt ea neque eodem manent loco, minime ego sum qui id ipsis indidi, sed tu mihi videris iste Daedalus esse; nam per me quidem licebat iis suo loco manere h. e. si res ex meo penderet arbitrio, rationes a me allatae tibi satisfacerent. — Tum Socrates *Κινδυνεύω ἄρα, ὃ ἐτάραξέ, ἐκείνου τοῦ ἀνδρός δεινότερος γεγονέναι τὴν τέχνην τοσούτω, ὅσῳ ὁ μὲν τὰ αὐτοῦ μόνᾳ ἐποίει οὐ μένοντα, ἐγὼ δὲ πρὸς τοῖς ἐμαυτοῦ, ὡς ἔοικε, καὶ τὰ ἀλλότρια· καὶ δῆτα τοῦτό μοι τῆς τέχνης ἐστὶ κομψότατον, ὅτι ἄκων εἰμι σοφός· — ἐβουλόμην γὰρ ἂν μοι τοὺς λόγους μένειν, καὶ ἀκινήτους ἰδρῶσθαι μᾶλλον ἢ πρὸς τῇ Δαίδαλου σοφίᾳ τὰ Ταντάλου χρήματα γενέσθαι* i. e. videor ergo, amice, virum illum tantopere superare in peritia artis, quod is quidem non nisi sua instabilia fabricabat, ego autem simul et mea videlicet et aliena. In quo nimirum illud est scitissimum artificium, quod invitus sapiens sum. Nam optarem dicta mihi manere atque immobilia consistere potius, quam cum Daedali peritia Tantalii opes obtigisse. Si in locum altius penetramus, facile videmus, Socratem de vera pietatis notione investiganda disceptantem vehementer cupere, ut Euthyphro, quae sit natura et vis pietatis, tandem aliquando accuratius et melius quam hucusque factum est, definiat. Nam definitiones ab Euthyphrone in medium allatas sibi ideo negat satisfacere, quia non de singulis quibusdam actionibus, quae dici pieae possint, agatur, sed de universae pietatis notione. Jam Euthyphro novam proponit pietatis definitionem, quam quum rursus coargueret et everteret Socrates, acerbè

conqueritur Euthyphro, quod quae proposuerit non firma maneant, sed usque loco cedant suo ejusque rei culpam in Socratem transfert, qui Daedali instar definitiones quasi euntes faciat. Tum Socrates, qui verum postulat et consistens argumentum et definitionem, qua uti liceat, suaviter urbanèque respondet: optarem dicta mihi manere et immobilia consistere potius, quam cum Daedali peritia Tantali *χρήματα* obtigisse i. e. mihi tecum disceptanti idem accidit quod Tantalō, qui quidem habet bona, iis tamen frui non potest, ita et tu argumenta et definitiones proponis, quae videntur aliquid esse, quum nihil sint, quibus igitur ut Tantali bonis uti non possum. — Namque Socrates quasi Tantalus sitiens atque esuriens immobile argumentum et consistentem pietatis definitionem ab Euthyphrone impetrare non potuit. E toto igitur verborum nexu apparet, *Ταντάλου τάλαντα* (*χρήματα*) quae Socrates minime sibi optat, significare idem quod alias *Ταντάλου δένδρα ἢ κήπους* quod quidem, ut Eustathii verbis utar, *παροιμιακῶς ἐπὶ τῶν ἀκερδῶν τίθεται* vel *ἐπὶ τῶν ἀκερδῶς πονούντων*. Hoc autem loco de divitiis veris et opibus cogitare est sententiam eruere vulgarem et ad Atticam urbanitatem dictionisque lepores torpere.

Hunc Platonis locum suscepimus explicandum, non studio ostentandae eruditionis, sed ut repulsa inepta opinione, qua hactenus hic locus obscuratus est, aliam commodiorem sententiam ostenderemus, quam probat verborum etymon, sententiae facilitas, consensus cum reliquis hujus loci partibus et usus classicorum scriptorum. Et ex hac sententia habes simul nostram proverbii illius *Ταντάλου τάλαντα* interpretationem sc. esse res, quae oneri miseriaeque sunt vel bona, quibus frui nemo potest i. e. bona umbris ac somniis similia, quae non explent hominis animum, sed irritant potius. — Quam interpretationem ne quis cupidius concriminetur, hoc recordator, illud proverbium solo hoc Platonis loco in auxilium vocato recte explicari posse, de quo iudicio me reliquos locos, ubi occurrit, accuratius legentem, demovere non potuerunt explicationes et interpretationes doctissimorum virorum, qui neglecto etymo verborum et male explicato Platonis loco a vero hujus proverbii sensu aberrarunt. — Argumentum autem ab etymo repetitum non est leve aut contemnendum, certe nullo pacto a viris doctis omitti debuit. At dixerit fortasse quispiam, si paroemiographi et lexicographi illam habent interpretationem, in ea etiam acquiescendum est. Audio, sed unius Zenobii similiumque interpretatione ita metiri veritatem, ut alia argumenta audire nolit certe hominis est, utar Reisigianis verbis, in philologia anili superstitione obligati. Nihil enim verum est hanc unam ob causam, quia scriptum exstat; sed argumenta, quae ipsi scripto fidem afferant, debent aliunde accedere. Jam

vero quum in explicando hoc proverbio a paroemiographis et lexicographis etymon plane neglectum verborumque interpretatio in Platonis loco jejuna esset et ne micam quidem haberet salis; consilium in mentem venit experiendi, ane ex ingenio Zenobii perversae interpretationis causam repetere possem. Erroris enim commissi auctor Zenobius ipse reus postulandus est, quum primus sit, qui de divitiis cogitavit, quique plus quam semel temere quod sibi convenire videbatur, id pro certo affirmavit. Ut vero crisin tuam probo scriptori in locis corruptis male impertias, nisi cum ipso certes scribendi facultate; ita nec foetum a tenebrione subjectum indagare poteris, nisi illius ingenium tute ipse induas et ineptas imitere cogitationes. Zenobius igitur, ut dicam quod sentio, quum tempore quo vixit primaria et ex etymo deducenda significatio vocis *τάλαντον* (*τάλαντα*) minus in usu esset, eo facilius in explicando nostro proverbio de divitiis cogitavit, quo usitator erat secundaria vocis vis et potestas. Et habet ea conjectura, quo se commendat. Namque quum ei ante oculos vel animum obversarentur allegorice saepe usurpata verba *Πλοῦτος Ταντάλειος*, quem Plutarchus *) ut quiddam in ore vulgi et in communibus proverbiiis versatum commemorat, quumque *Τάνταλος Πλουτοῦς καὶ Λιός* filius perhiberetur, suam verborum illorum interpretationem confirmavit adjectis verbis *διεβεβόητο ὁ Τάνταλος ἐπὶ πλούτῳ*. Quae quidem verba consequentibus ita imposuerunt, ut quod attinet ad sensum ea retinerent. — Alii ut Diogenianus et Gregorius Cyprius contraxerunt, alii ut Apostolius, Arsenius et Photius amplificaverunt, alii denique ut Suidas et Eustathius de suo adjecerunt. Ejusmodi autem somniorum et deliramentorum culpam aliquoties in se admisisse Zenobium, dum paroemii alicujus verba corrumperet aut ficta explicatione ornaret, jam dudum innotuit ita, ut mihi quidem non tam mirum videatur, istam interpretationem a Zenobio excogitatam esse, quam dolendum a multis vel doctissimis viris veram creditam esse et acceptam. E multis, quae ex Zenobii proverbiiis afferre possum ejusmodi errorum exemplis unum tantum lubet apponere, non ignotum quidem illud, sed ad hoc, quod demonstrandum est aptissimum, quippe quod tantam cum hoc nostro habeat similitudinem, ut nullam nobis dubitationem relinquat, errorem in hoc nostro commissum ab eodem quoque Zenobio facile potuisse proficisci et re vera profectum esse. — Exstat autem apud Zenobium Centur. III, 23 cfr. Corp. Paroemiographor. Graecorum Tom. I, pag. 64 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Διπλοῦς ἄνδρας: τὰ δισύλλαβα ἀνδρῶν ὀνόματα. Ὅθεν ἐπίγραμμα:*

*Μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν περνητότα
χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς λόγοις.*

*) cfr. Plutarch. an vitios. ad infelic. sufficiat? cap. I.

Διπλοῦς ἀνδρας explicat igitur Zenobius per *δισύλλαβα ἀνδρῶν ὀνόματα* et putat vocem *διπλοῦς* significare idem quod *δισυλλάβους*. Ex Athen. XIV, 614 E. autem et ab interpretibus hujus loci cognovimus *δισυλλάβους* esse idem quod *ποιζίλους*; *ποιζίλος* autem est varius, varias artes callens, versutus. (de quo usu vide Mitscherl. Horat. carm. I, 6, 7.) Videmus igitur hoc proverbium aequae atque nostrum perverse interpretatum esse Zenobium. Confer praeterea si vis cognoscere miserandam, quam ubique prodiderunt ignorantiam et oscitantiam paroemiographi et epitomatores, ea quae disputavit Tittmannus in prolegomenis ad Johannis Zonarae et Photii lexica, Jacob. Gronovius in praefat. ad Harpocratonis lexicon, Gatackerus in Miscellaneis 715, Isaacus Casaubonus ad Athen. 11, 8 et quae nuperrimi paroemiographorum Graecorum editores a Leutsch et Schneidewin annotaverunt ad Zenob. Centur. III, 3, 10, 23; Centur. IV, 55, 86; Centur. V, 5, 7, 15; Centur. VI, 3, 42; ex his locis ad quos triplicem numerum facile adjicere poteram, satis superque videmus, istos epitomatores tam facile lapsos esse, ut interdum eos vel evoluisse taedeat pigeatque. Etenim conjungunt i. e. confundunt ac miscent aetates diversas, conjungunt ingenia, mores, indolem toto coelo diversam, ex qua conjunctione monstra et portenta quum grammatica tum lexicalia nata sunt et nascuntur.*)

Ταντάλον τάλαντα τανταλίεσθαι idem autem esse quod *ἔργα καὶ πράξεις Ταντάλον πράττειν* i. e. in Tantali statu et conditione versari partim ex etymo supra explicato patet, partim ab ipso Zenobio suo saepe se gladio jugulante aliisque paroemiographis probatur. Namque proverbium: *Ζωπύρου τάλαντα* interpretatur Zenobius per *ἔργα καὶ πράξεις* cfr. Zenob. Centur. IV, 9. Corp. Paroemiograph. Graecorum Tom. I, pag. 86 ed. a Leutsch et Schneidewin: *Ζωπύρου τάλαντα*: *Ζώπυρος ὁ Πέρσης βασιλεὺς χαρίζομενος μαστιγώσας ἑαυτὸν καὶ τὴν ῥίνα καὶ τὰ ὦτα ἀφελόμενος, εἰσελθὼν εἰς Βαβυλῶνα καὶ πιστευθεὶς διὰ τὰ περὶ τὸ σῶμα, προῦδωκε τὴν πόλιν. Ἐκ μεταφορᾶς οὖν εἶπε, Τάλαντα καὶ ζυγά, οἷονεὶ ἔργα καὶ πράξεις.* —

Simillima et maxime gemina est interpretatio proverbii: *Τὰ Κινύρου τάλαντα*, quae quidem verba Macarius**), Apostolius***) et Arsenius †) interpretantur per

*) cfr. C. G. Cobet commentat. de sinceritate Graec. sermonis pag. 6.

**) Centur. VIII, 100, cfr. Corp. Paroemiograph. Graecor. Tom. II, pag. 214 ed. a Leutsch et Schneidewin.

***) Centur. XV, 94a cfr. Corp. Paroemiograph. Graecor. Tom. II, pag. 653 ed. a Leutsch et Schneidewin.

†) XLVIII, 49.

ἐπὶ τῶν τὸ ἴσον καὶ τὸ δίκαιον φυλαττόντων· nemo autem de divitiis et opibus cogitat, quamvis antiquissima de Cinyra ejusque divitiis memoria sit. *)

Quodsi igitur dictiones *Ζωπύρου τάλαντα* et *Κινύρου τάλαντα* metaphorice usurpantur et significant *ἔργα καὶ πράξεις*, tunc ex etymo et usu satis probatum esse puto, *Ταντάλου τάλαντα* esse *Ταντάλου ἔργα καὶ πράξεις* et *Ταντάλου τάλαντα τανταλίξεσθαι* significare quod supra posui et loco Platonico explicato confirmavi: Tantalī res agere, Tantalī statu et conditione versari i. e. Tantalus-Qualen erleiden; unnetze, tantalusartige Versuche machen, *παθεῖν τὰ Ταντάλου* ut Eustathius habet. Quum igitur rem ipsam hac interpretatione absolutam habeamus, superest, ut demonstremus:

Cap. IV.

qui usus Tantalici nominis Graecorum Latinorumque scriptorum fuerit. Exceptis iis locis, quos supra attuli et de quibus uberius exposui, nusquam ubi de divitiis et opibus agitur Tantalī talenta memorantur. Verum enim vero talium locorum, quales supra transcribendos curavi, vel maximus numerus non probat, Platonem (dum in Eutyphrone *Ταντάλου τάλαντα* vel parechesi evitata *Ταντάλου χοίματα* adhiberet) de divitiis cogitasse neque efficit, ut illud proverbium *Ταντάλου τάλαντα τανταλίξεσθαι* servato verborum etymo dictum videatur de divitiis accumulatis seu accumulandis. Itaque negabo et pernegabo istam dictionem hoc sensu non modo non Platonicam esse, sed talem tam etymo vocum contrariam ne apud ullum quidem scriptorum ex illo antiquiorum et classicorum ordine reperiri. Et ita est. — Croesi quidem opulentia praesertim Solonis dicto nobilitata erat; Gygis opes memorant Anacreon, Alcaeus Mitylenaeus et Gregorius Thessalonicensis; Pactoli opes Synesius et Crates, Horatius et Plinius laudant; Midae divitias et Cinyrae opes Pindarus, Plato, Statius, Plinius aliique celebrant. At Tantalī opes et divitiae eodem sensu nusquam memorantur. Nam neque Graeci ut Homerus**), Pindarus***), Euripides †), Plato ††), alii, neque

*) cfr. Hom. II. XI, 20 seqq.; Pindar. Nem. VIII, 20; Plat. Legg. II, 660, E; Ovid. Metam. X, 298; Dio Chrysost. Oratt. pag. 135 Paris.; Clemens Alexand. Paed. III, 6 pag. 100 Syllb.

**) Homer, Odyss. XI, 581 seqq.

***) Pindar. Olymp. 1, 55.

†) Euripid. Or. 4 seqq.

††) Plat. Cratyl. pag. 395, D ed. Steph.

Latini ut Cicero¹⁾, Ovidius²⁾, Horatius³⁾, Seneca⁴⁾ et Tibullus⁵⁾ aliam atque miserandam Tantalii conditionem noverunt. Ubi vero de divitiis et opibus Tantalicis sermo est usquequaque allegoria adhibita est. In Philostratorum Eunapii et Himerii operibus saepius memoratur Tantalus, ejus horti memorantur, poculum, audacia et justitia adeo laudatur, nusquam vero de ejus divitiis agitur. Quae quum ita sint, manifestum est in illis locis, quibus *Ταντάλον τάλαντα (χρήματα)*⁶⁾ memorantur vel *Πλοῦτος Ταντάλειος* laudatur⁷⁾ de allegoria cogitandum esse. Gregorius Nazianzenus in epistola ad Basilium fratrem eleganter detorquet *Πλοῦτον Ταντάλειον* ad hujus mundi delicias, quae nunquam explent animum. Similiter Libanius in epistola XXXVI et eodem sensu Eusebius Pamphili in vita Constantini Magni libr. I, c. 55 commemorat *τοὺς Τανταλείω πάθει ψυχὴν τρυχομένους*.

Ubi autem testes classici et locupletes consentiunt, dissentientium nulla ratio in posterum erit habenda.

Jam vero his omnibus, quae a me adhuc disputata sunt, comprehensis et perpensis dubitare vix aut omnino non possumus, quin proverbium illud, *Ταντάλον τάλαντα* vel *Ταντάλον τάλαντα τανταλίζεται* minime intelligendum sit de divitiis accumulatis, sed de rebus potius, quae aliquid esse videntur, quum nihil sint i. e. misere praesente copia discruciarī, *παθεῖν τὰ Ταντάλον, ἀκεροδῶς ποιεῖν*, Tantalus-Qualen erleiden, tantalusartige, unnuetze Versuche machen.

De summa rei, opinor, non dubitabitur, in singulis si errorem admiserim, humanam reprehensionem non refugio. Et si mihi contigit opinionem falsam, quae tam diu obtinebatur, e lexicis et annotationibus expellere, causam certe habebō satis gravem, cur me hujus scriptionis non poeniteat.

¹⁾ Cicero Tusc. I, 5. IV, 16.

²⁾ Ovid. Am. II, 2, 43; III, 7, 51.

³⁾ Horat. Sat. I, 1, 63; Epod. 17, 65.

⁴⁾ Senec. Hercul. Fur. 752 et Thyest. a. v. I et ibi 145.

⁵⁾ Tibull. I, 3, 77.

⁶⁾ Plat. Euthyphr. cap. XIII, pag. 11, E. ed. Steph.; Plutarch. Amator. cap. XII, pag. 759. F. ed. Winckelmann; Menandr. fragm. pag. 103 ed. Meineke.

⁷⁾ Athen. libr. VI, pag. 230 et Plutarch. an vitios. ad infelic. sufficiat? cap. I.

